



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

8 Vtrum Baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

fuisse baptizatum, tractavi superiori tomo, q. 46. art. 1. in Commentario, ubi probabilis duxi, non fuisse baptizatum baptismo aque, antequam cruci affigeretur, quia nondum in Christum crederat: quod vero in ipsa cruce non fuerit baptizatus, certo certius est, quis enim minister eum baptizasset, aut formam protulisset, aut qua aqua baptizatus esset? illa enim, quae ex latere Christi manavit, non potuit ad illum pertingere sine miraculo, quod non est fingendum sine fundamento: & fortasse prius, quam illa aqua manaret à latere Christi, iam ille erat mortuus: nam prius fregerunt eius crura, ut interficeretur, quam latus Christi aperiret: praesertim quia vivente Christo ille iustificatus est, quando ipsum confessus est, & ideo ab eo audiuit, Hodie tecum eris in paradiso. Unde etiam conitatur, non fuisse baptismum sanguinis iustificatum: quia multo tempore ante mortem & antelethalia vulnera, ac omnino desperata, iustus factus est, & quando dici nullo modo poterat propter Christum pati. Addo passionem & mortem eius non posse dici baptismum sanguinis: tum quia nec fuit verum martyrium, quia non propter fidem aut virtutem, sed propter sua scelera passus est: tum etiam, quia licet illa mors fuisset martyrium, non tamen supplevisset necessitatem baptismi aquae: quod est necessarium ad propriam denominationem baptismi sanguinis, quia tunc nulla erat talis necessitas. Atque eadem ratione non potest dici latro ille proprie baptizatus baptismum flaminis, quia licet veram habuerit contritionem, verumque Dei amorem super omnia, non tamen oportuit in eis includi votum baptismi, qui nondum erat necessarius: quod tamen votum est de necessitate baptismi flaminis. Quocirca ex hoc facto latronis non potest sufficienter colligi documentum illud, quod tunc in necessitate sufficiat votum baptismi: sed potest sumi argumentum à simili: quod sicut illi profuit ad salutem interior conuersio in extremo vitae positio: ita sufficiens esse poterit cuiuslibet in necessitate existenti, etiam si baptizari non possit: quia baptismi necessitas non abstulit vim suam interiori conuersioni ad Deum, si ex perfecto corde profecta sit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

Adoctum sic proceditur. Videtur, quod baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpa. Sed in quibusdam plura peccata tollit, quam in aliis, nam in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo æqualem effectum habet baptismus in omnibus.

1. Præterea, Per baptismum conferuntur homini gratia & virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam & perfectionem virtutum, quam alij baptizati. Non ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

2. Præterea, Natura per se recipit per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis etiam pueris, sit maior capacitas naturalium, quam in aliis, videtur, quod quidam maiorem gratiam consequantur, quam alij.

3. Præterea, Quidam in baptismum consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismum mundatus est à lepra. Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismum. Baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptismum. Vniuersis autem causa est vniuersis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

Respondetur dicendum, quod duplex est effectus baptismi: p-

nus per se, & alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi, est id, ad quod baptismus est institutus scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde, qui omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesie baptizantur, omnes æqualem effectum percipiunt in baptismum. Ad alii vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum; quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptismum accedunt. & ideo quidam plus quidam minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus eo appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed diuina virtus hoc in baptismum miraculose operatur, sicut super illud, Rom. 6. Vt vltima non seruiamus peccato, dicit glossa. Non hoc praestatur in baptismum, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati quae est in membris eius extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum æquali deuotione accedant, sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem prouidentiae diuinae.

Est glossa Aug. lib. 1. de pecc. mer. c. 29. cap. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod minima gratia baptismi male sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter maiorem efficaciam baptismi, quod in quibusdam plura, in quibusdam autem pauciora peccata soluit, sed propter conditionem subiecti, quia in quolibet soluit, quocumque inuenierit.

Ad secundum dicendum, quod hoc, quod in baptizatis maior vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere. Vno modo, quia vnus in baptismum percipit maiorem gratiam, quam alius propter deuotionem maiorem, ut dictum est. Alio modo, quia etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea vruntur, sed vnus studiosus in ea proficit, alius per negligentiam gratia Dei deest.

Ad tertium dicendum, quod diuersa capacitas naturalium in hominibus non est ex diuersitate mentis, quae per baptismum renouatur, cum omnes homines eiusdem speciei existentes, in forma conueniant: sed est ex diuersa dispositione corporum. Secus autem est in Angelis, qui differunt specie. Et ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diuersam capacitatem naturalium, non autem hominibus.

Ad quartum dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus prouidentiae diuinae.

COMMENTARIVS.

Doctrina D. Thomae in corpore articuli clara est, nec ulla indiget expositione. docet enim baptismum per se, & vi sua æquale habere effectum in omnibus, qui illum suscipiunt: quia, quantum in se est, æqualiter se habet ad omnes: ex parte vero subiecti inæqualiter dispositi fieri posse, ut maiorem habeat effectum in vno, quam in alio. Quam doctrinam fufius explicabimus sequenti disputatione. Vbi non nihil etiam dicemus de solutione ad secundum, in qua D. Th. attingit philosophicam questionem, an animae humanae sint inæquales in naturali perfectione, ut hac ratione, ceteris paribus, recipiant inæqualem effectum proportionatum naturali perfectioni: & respondet, non esse in mentibus hominum diuersam capacitatem naturalem ex parte ipsarum, sed ex diuersa corporum dispositione: & ideo non oportere, ut eis detur inæqualis gratia ob diuersam capacitatem naturalem, quae responso duobus modis potest intelligi. Primo, quod in animabus ipsis secundum se nulla sit inæqualitas. Secundo, quod in eis non sit inæqualitas formalis (ut sic dicam), & omnino absoluta, sed materialis tantum, & per habitudinem ad corpora diuersimode disposita, ita tamē, ut non sit inæqualitas in solis corporibus, sed etiam in animabus habentibus

etiam Pius V. in breuiario Romano in vita Syluestri
recepit.

ARTICVLVS IX.

Verum fictio impediatur effectum baptismi.

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod fictio non impe-
diat effectum baptismi. Dicit enim Apostolus Gal 3, Qui-
cumq; in Christo baptizati estis, Christi induistis. Sed omnes
qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Er-
go omnes induunt Christum, quod est percipere baptismi effe-
ctum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

2. Præterea, in baptismo operatur virtus diuina, que potest
voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus cause agē-
tis non potest impediri per id, quod ab illa causa potest auferri.
Ergo fictio non impedit bapti-
mi effectum.

3. Præterea, effectus baptismi est gratia, cui peccatum op-
ponitur. Sed multa sunt alia peccata grauiora quam fictio de
quibus non dicitur, quod effectum bapti-
mi impediatur. Ergo
neque fictio impedit effectum baptismi.

Sed contra est, quod dicitur Sap. 1. Spiritus sanctus disci-
plina effigiet fictum. Sed effectus baptismi est Spiritus sanctus.
Ergo fictio impedit effectum baptismi.

Respondeo dicendum, quod sicut Damas. dicitur Deus nō
cogit hominem ad iustitiam. Et ideo ad hoc, quod aliquis iusti-
ficetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis am-
pliatatur baptismum, & baptismi effectum. Dicitur autem a-
liquis fictus, per hoc, quod voluntas eius contradicit vel bapti-
smo, vel eius affectui. Nam secundum Augustinum, quatuor modis
dicitur aliquis fictus: Vno modo ille, qui non credit, cum tamen
baptizatus sit fidei sacramentum. Alio modo per hoc, quod aliter
celebrat sacramentum, non seruando ritum Ecclesie. Quar-
to modo per hoc, quod aliquis indeuote accedit. Vnde manifestum
est, quod fictio impedit effectum baptismi.

Ad primum ergo dicendum, quod baptizari in Christo, po-
test intelligi dupliciter. Vno modo in Christo id est in Christi
conformitate. Et sic quicumq; baptizantur in Christo, & con-
formantur ei per fidem & charitatem, induunt Christum per
gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo, in
quantum accipiunt sacramentum Christi. Et sic omnes induunt
Christum per configurationem charactervis, non autem per
conformitatem gratie.

Ad secundum dicendum, quod quando Deus voluntatem
hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit ficti-
o, sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc sacramentum
ordinatur, vt de ficto fiat aliquis non fictus, sed vt non fictus a-
liquis accedens iustificetur.

Ad tertium dicendum, quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod
demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicumq; autem ac-
cedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Chri-
sti habere, & sacramentum venerari, & velle se Christo con-
formari, & velle à peccato recedere. Vnde quicumq; peccato vult
homo inhære, si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est
indeuote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali,
quod gratia contrariatur, non autem de peccato veniali. Vnde
fictio hic quodammodo includit omne peccatum.

COMMENTARIVS.

Intelligentia huius articuli tota pender ex intelli-
gentia illius vocis (fictio) nam D. Thomas in articulo
facis concise & sine explicatione numerat quatuor
fictiois modos, quos postea explicabimus: in soluti-
one autem ad tertium ait, eum dici fictum, qui de-
monstrat se aliquid velle, quod non vult: fictio ergo
erit simulatio exterior, seu opere ipso exhibita, qua
aliquis in baptismo exteriori profertur se aliquid vel-
le, quod reuera interiori non vult. Quæ nominis in-
terpretatio ipsi voci per se satis est accommodata:

vocatur enim fictio, quia reuera non est, qualis appa-
ret, seu exterius exhibetur. Vnde colligitur primo,
duplicem posse esse huiusmodi fictionem: alteram i-
psi baptismi: alteram vero solum effectui baptismi
contrariam: prior est in voluntate: & tunc est, quan-
do quis recipit baptismum sine intentione & volun-
tate recipiendi sacramentum: & multo magis si ha-
beat voluntatem nihil agendi, sed vel decipiendi aut
illudendi, seu irridendi sacramentum: posterior au-
tem fictio est etiam in voluntate, & potest redundare
in intellectum: non tamen excludit voluntatem susci-
piendi sacramentum, sed illam potius supponit, &
formaliter consistit in carentia dispositionis necessa-
ria ad recipiendum sacramenti effectum: quæ dispo-
sitione in aliquo actu consistit, vt infra dicemus. Vnde
hæc ipsa fictio duobus modis haberi potest: Primo
nere negatiue, seu inuoluntarie, vt si quis careat dis-
positione necessaria ex ignorantia, vel inaduertentia
in culpabili. Secundo contrarie, seu voluntarie: vt cū
quis vult Baptismum suscipere cum voluntaria ad-
hæsiōe ad aliquod peccatum mortale, aut absque
necessaria displicentia illius: quando fictio contingit
priori modo, formaliter consistit in aliquo peccato
habituali gratiæ contrario, & nullo modo retractato:
quando vero est posterioris generis, supponit ha-
bituale peccatum non retractatum, & addit actuale a-
liquod, saltem ipsam indignam susceptionem baptis-
mi voluntariam. In vtroque autem fictionis genere
possunt varia peccatorum genera interuenire, scilicet
infidelitatis, contemptus, sacrilegij, &c. tamen hæc om-
nia materialiter se habent ad fictionem, quæ forma-
liter in hoc consistit, quod aliquis imparatus, seu in-
dispositus accedit ad sacramentum.

Secundo colligitur ex dictis, hanc fictionem, & cō-
sequenter totam hanc questionem solum habere lo-
cum in adultis: nam in paruulis neque ad substantiā
sacramenti requiritur propria voluntas suscipiendi
illud, neque dispositio ad effectum, quia vtriusque
sunt incapaces, & ideo ficti esse non possunt: quia nec
repugnare possunt, neque aliqua re ex parte illorum
necessaria carere.

Tertio colligitur sensus, & facilis resolutio quæsti-
onis: nam prior fictio non solum effectum, sed etiam
veritatem sacramenti impedit, quia, vt supra dictum
est, ad valorem sacramenti requiritur in adulto in-
tentio suscipientis, de qua re nihil hoc loco addendū
est: quia satis est in superioribus disputata, & quia re-
uera non est hic sensus præsentis questionis, vt patet,
tum ex titulo, vbi non queritur de impedimento bap-
tismi, sed effectus eius, tum ex solutionibus argumē-
torum maxime ex articulo sequenti, vbi D. Thomas
docet, recedente fictione incipere, Baptismum habere
suum effectum, quod non est verum, nisi in prædic-
to sensu. Posterior ergo fictio non impedit verita-
tem sacramenti, impedit tamen effectum gratiæ, cuius
rationem reddit D. Thomas, qui effectus gratiæ,
non datur nisi volenti, qui autem accedit fictus, vo-
luntate sua contradicit gratiæ effectui, de qua re sta-
tim latius disputabimus.

Vltimo possunt ex dictis facile explicari quatuor
modi fictionis à D. Thoma positi, ex quibus non nul-
li possunt ad vtrumque fictionis modum supra po-
situm facile accommodari: nam licet (vt dixi)
quæstio hæc potissimum intelligatur de fictione ef-
fectui contraria. Tamen Diuus Thomas ad doctrina-
m amplitudinem de vtraque miscet sermonem in
corpore articuli. Primus ergo modus fictionis est
per infidelitatem, quæ potest esse vel contra sacra-
mentum, si quis non credat Baptismum esse alicuius
valoris, neque aliquid sacrum, & ideo nolit reuera
baptizari, sed ludere vel simulare. Potest etiam hoc
modo reperiri fictio soli effectui contraria, vt si quis
sit infidelis in aliis rebus fidei, non tamen in ipso Ba-
ptismo, vel etiam si sit infidelis in Baptismo, vt si ve-
lit ba-

Fictio tam-
tum locum
habet in
adultis.

Quatuor
modi fictionis
modi explic-
antur.